



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 63. Galliarum Regis sollicitudo ad hæresis progressus in suo Regno  
inhibendos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

## §. LXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C 1542.*Galliarum Regis sollicitudo ad hæresis progressus in suo Regno inhibendos.*

**I**nterim Franciscus I. Galliarum Rex hæresum progressibus obicem ponitur legum contra Novatores nuper latorum severitatem innovavit, hancque in rem anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo edictum promulgari iussit, quo sancitum, ut Magistratus summa solertia in hæreticos inquirerent; Verum hi noctu suos conventus tanta taciturnitate habebant, ut ægre deprehendi potuerint, quin imo quidam Verbi divini Præcones, cum & ipsi hisce erroribus infecti essent, suum venenum anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo primo in publicis sermonibus dominici adventus tempore habitis spargere audebant. Hac temeritate Clerici vehementer commoti suo Religionis zelo Regis studium solerter accendebant, ut junctis viribus funesta, quæ ex tali licentia oriri possent, mala præpediri valerent: igitur Parisiensis Facultas Theologica anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo secundo die decima octava Januarii apud Mathurinos conventum ha-

H 2

buit,

Sæcul. XVI.

A.C. 1542.

buit, ac Missa de Spiritu sancto celebrata quosdam articulos veluti orthodoxæ fidei professionem exposuit, atque in illis omnes materias eo tempore controversas pertractavit, eaque omnia præscripsit, quæ credenda, atque deinceps a Concionatoribus prædicanda, nec non populo exponenda essent. Insuper utriusque Juris Doctores ac Baccalaurei hosce articulos jurejurando firmare jubebantur, Scholares vero pariter, priusquam Theologiæ curriculum inciperent, fidem suam juramenti religione obstringere compellebantur. Hoc edictum plus quam sexaginta Doctorum chirographo muniebatur, cujus tenorem impresentiarum exhibemus.

## §. LXIV.

*Parisiæ Facultatis Theologiæ Decretum de articulis fidei divina credendis.*

*Argent. Coll. jud. app. t. 1. p. 413. Et t. 2. p. 133.*

*Attendentes D. Pauli fidei nostræ Præconis exemplo, quam gravia pericula his temporibus ex impudenti & detestanda quorundam Concionatorum impietate soleant Christianis contingere, qui non erubescunt temeraria quadam audacia erronea, scandalosa, seditiosa atque etiam schismatica, hæretica & blasphema in suis Concionibus passim disseminare, in hoc magis hominibus placere cupientes,*  
quam